

gerunt similitudinem earum, etiam plurium verborum liberius adici, quod strictim commonuit Seidlerus de verss. dochm. p. 195. cum Reisigio Enarrat. Oed. Col. v. 309. Itaque ut vulgaria praeteream, diambum Sophocles Philoctet. v. 217. „*ἰὼ ξένοι*“ praeposuit, interposuit Aeschyl. Agamemn. v. 1286. Blomf. Iambicum ischiorrhogicum Hermannus odoratus est Sophocl. Electr. v. 77. Quid multa? Patet Clytaemnestram concito esse et perturbato animo, ideoque sapienter poetam expressisse sensum ipsius singulari versu.

Pag. 25. l. 30. *ipsae* corr. *ipsa*.

DE

THEOPOMPI CHII VITA

ET

SCRIPTIS

PARTICULA

QUAM

UNA CUM THESISIBUS ALIQUOT

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XII M. SEPT. ANNI MDCCCXXXI

PUBLICE DEFENDET

FRID. CAROLUS THEISS

NORDHUSANUS

REGII PHILOLOG. SEMINAR. ET SOCIETATIS
REGIAE HISTORIC. NUPER SODALIS.

ADVERSARI ERUNT

SEYFFERT, DR. PHIL.

BORMANN, {

MUELLER, } REG. PHIL. SEM. SOD.

HALIS SAXONUM

TYPIS BAENTSCHEANIS.

Omnium Theopompi Chii operum clarissimum et praestantissimum est opus *Ἱστοριῶν* quo nomine utitur Athenaeus Libr. III. pag. 77. D. IV. pag. 144. F. VI. pag. 167. C. ed. Casaubon. vel *Λόγων Ἱστορικῶν* uti a Photio vocatur Cod. CLXXVI. ed. Hoeschel. Diodorus XVI, 3. *τῆς περὶ Φιλίππον ἱστορίας* nominat, alii saepissime *Φιλιππικά*, quem titulum equidem usitatissimum fuisse arbitror. In his Theopompus Philippi Macedonum regis res gestas quinquaginta et octo libris enarravit, exordium faciens in exponendis Philippi rebus gestis ab eo inde tempore, quo Philippus rerum potius est Olymp. CV, 1. et perrexisse videtur usque ad eius mortem Olymp. CXI, 1. Nam quum pugnam Chaeroneensem enarrarit libro quinquagesimo tertio eique quinque alios addiderit, videtur in his ea exposuisse, quae duobus postremis Philippi annis evenerunt. Quanquam autem in hoc opere Philippi historiam conscribendam susceperat, hoc ta-

men sibi sumpsit, ut tum Graecarum cum barbararum civitatum res gestas simul enarraret et quotiens cunque offerretur occasio libere digrederetur et evagaretur in antiquissimam Graeciae historiam. Inde innumerae illae digressiones repetendae sunt propter quas multorum meruit reprehensionem, (cfr. Dionys. in Epistola ad Cnei. Pompei. pag. 132. ed. Sylburg. Theo Sophist. Progymn. pag. 33. ed. Camer. Phot. Bibliothec. pag. 393. ed. Hoeschel. Valckenar. ad Herod. IV. 168.) quibus omnes leges ita migravit, ut merito Horatianum illud ei succlamari possit:

Est modus in rebus sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Sic libro Philippicorum octavo de rebus mirabilibus, extremo libro decimo de demagogis Atticis exposuit; libro duodecimo de Acori Aegypti rege et de Evogorae Cypri regis cum Aegyptiis facto foedere, et occasione data, de Graecis, qui cum Agamemnone in Cyprum insulam invaserant et post alia multa quae ibi evenerant rursus in antiquissimam historiam digressus, de heroibus e bello Troiano reduci- bus exposuit deque regionibus in Asia ab iis occupatis cfr. Phot. Bibl. Cod. CLXXVI. pag. 202 et 203. ed. Hoeschel. Omnium tamen longissima digressio est de rebus Siculis, quae tribus integris libris constabat teste Diodoro XVI, 3. Minus recte praecedente Ionsio de S. H. P. I, 9. Pflugkius de Theopompi Chii vita et scriptis pag. 39. Diodorum reprehendit, quem quod hanc digressionem de rebus Siculis tribus libris XII — XIII. comprehensam ἀρξαμένην ἀπὸ τῆς Διο-

νυσίου τοῦ πρεσβυτέρου τυραννίδος εἰς τὴν ἔκπτωσιν τοῦ Διονυσίου τοῦ νεωτέρου καταστρέφαι quinquaginta annorum spatium recensere narrat, aut minus accurate vult locutum, aut errasse cfr. Meier V. Cl. Prooem. ad indicem Scholarum in Academ. Fridr. Halensi cum Viteberg. consociata per aestatem anni MDCCCXXXI. habendarum pag. 8. Ego quidem cum Meier. V. Cl. hinc colligo, Theopompum iam prioribus libris de Dionysio imprimis autem de eius familia et de initiis eius tyranidis exposuisse, id quod probat etiam Heerenius de fontibus et auctoritate Iustini pag. 195. probant etiam quae ex libr. XXXIX et XL. servata sunt fragmenta. Attamen libro XLIII. etiam de rebus Siculis egisse Theopompum (uti testatur Diodor. XVI, 71.) huc usque mihi persuadere non potui, propterea quod in fragmentis superstitis nullum huius argumenti reperitur vestigium. Namque in iis non Siculi, sed potius Tyrreni, Molossi, Chaones alii memorantur, unde probabiliter conicere mihi videor, errasse Diodorum in librorum numero indicando. His similibusque digressionibus in ingentem molem hoc opus accrevit. Distributum enim erat in quinquaginta et octo libros uti testatur Diodor. XVI, 3. quocum consentit Photius. — Suidas vero septuaginta duos libros fuisse narrat s. v. Θεόπομπος Χίος de hoc loco cfr. Pflugk. l. l. pag. 37. Notanda tamen hic est Schweighauseri sententia, qui putat τὰ Φιλιππικά proprie nominis partem ιστορικῶν λόγων fuisse. „Et quamquam (inquit „ad Athenaeum VI. pag. 259.) subinde universa Theo-

„pompi historia sub titulo τῶν Φιλιππικῶν citetur, ta-
 „men τὰ Φιλιππικά proprie nominati pars fuere uni-
 „versi operis, quod inde coeperat, ubi desierat Thu-
 „cydides. Itaque videndum, ne interdum idem ali-
 „quis liber rerum Philippicarum potuerit sub diver-
 „so numero citari, prout is, qui eum citavit, vel a
 „totius operis exordio vel ab ipsarum rerum Philip-
 „picarum principio initium numerandi fecisset.“ Sed
 non videtur esse, cur ita statuatur. Etenim vix pro-
 babile est, universum opus τὰ Φιλιππικά nominatum
 fuisse; ac primum quidem, quod nullum exstat frag-
 mentum ex quo id evinci possit, deinde quod nemo
 facile sibi persuaderi patietur praeter Philippi histo-
 riam reliqua etiam opera historica ut Hellenica et
 Epitomen Herodoti Philippica esse appellata, quum
 in his ne mentio quidem Philippi facta sit. Philip-
 pica vero sola ἱστορίας fuisse dicta, non autem con-
 tra universum opus communi nomine sive Φιλιππι-
 κῶν sive ἱστοριῶν appellatum, inde satis probari posse
 arbitror, quod quae Polybius libro VIII, 11—13. ed.
 Schweighauser. ex libro quadragesimo nono τῆς Φι-
 λίππου συντάξεως citavit, eadem item ex libro qua-
 dragesimo nono ἱστοριῶν laudavit Athenaeus VI. pag.
 166. D. ed. Casaubon. Philippicorum autem librorum
 quinque iam antiquitus perierunt, uti postrema Dio-
 dori verba indicant: ἐξ ὧν πέντε διαφοροῦσι de quo-
 rum verborum explicatione non convenit inter viros
 doctos. Namque Rhodomannus interpretatus est haec
 verba „de quinque tamen inter haec discrepatur“
 ita ut arbitraretur de vero eorum auctore discordiam

intercessisse; attamen haec interpretatio, admitti non
 potest, nam scribere debuisset Diodorus ἐξ ὧν περὶ
 τῶν πέντε vel ὧν περὶ πέντε, ut recte iam monuit Wes-
 selingius ad. hunc locum, Bongarsius ad Inst. I, 1.
 hanc esse vult Diodori mentem „Theopompum quin-
 que libros Philippicis inseruisse a Philippi historia
 alienos;“ quamvis vero hanc significationem habeat
 verbum διαφορῶν, hac certe significatione saepius
 obviam fiat quam intereundi, dubito tamen, an hoc
 loco ita explicandum sit, quum totius illius operis
 multo plures quam quinque fuerint libri, quorum ar-
 gumentum, si minus omnino, maximam saltem par-
 tem a Philippi rebus alienum esset. Sola probanda
 esse videtur I. G. Vossii interpretatio, qui quin-
 que libros interiisse putabat; primum, quod hanc
 significationem verbum διαφορῶν habet cf. Wesse-
 ling ad Diodor. Sic. III, 41; deinde quod confir-
 matur Photii, auctoritate, qui etiam ipse non plu-
 res quam quinquaginta tres libros tractavit, et iam
 antiquitus quinque libros desideratos esse tradidit,
 nimirum sextum, septimum, nonum, vicesimum et
 tricesimum. Atque haud scio an huic opinioni
 praesidium aliquod paretur inde, quod nullum hodie
 ex his libris reperitur fragmentum, exceptis illis
 brevioribus locis, qui inveniuntur apud scriptores
 Diodoro multo priores. — Iam si quaeratur de tem-
 pore, quo Philippica edita sint, probabiliter mihi
 statuere videor, ea mortuo demum Alexandro esse
 divulgata; primum quidem quod in iis quaedam etiam
 de Alexandro tradita sunt, dummodo fragmentum

apud Pollucem V, 43. ad Philippica referendum sit, deinde quod verisimile non est Alexandro potuisse acceptum esse Theopompum, qui de ipsius patre Philippo ea tradidisset, quibus male apud posteritatem audiret cfr. Polyb. Tom. III. pag. 28. ed. Schweigh. Athenaeus IV, pag. 166. 167. VI, pag. 260. 261. ed. Casaubon.

T H E S E S.

I.

Saitas Aegypti falso ab Atheniensibus suos colonos perhiberi censeo.

II.

Iniuria Theopompus Chius a Casaubono et Ernestio fabulosus scriptor nominatur.

III.

Librum περὶ Ἐυσεβείας a Schol. Aristophan. Av. 1360 laudatum, a Ruhnkenio et Pflugkio Theophrasto attributum, Theopompi esse arbitror.

IV.

Cicero de divinat. I, 50. non dubito, quin scripserit pro „qui cum vidisset hauriam aquam“ „qui cum bibisset etc.“

V.

Falsus est Strabo VII, 511. putans Ἀάρον et Κορνίδας diversas fuisse urbes.

VI.

Tacit. German. cap. V. „pro satis ferax, frugiferarum arborum impatiens“ scribendum est „arborum patiens.“

VII.

Athen. X. pag. 443. C. Ἀκουῶν nomen valde suspectum in Ἀφιδαιῶν mutandum est.

VIII.

Diodori narratio (libr. XI, 20.) de copiarum ac Navium Punicarum multitudine in Siciliam tempore belli Medici trajectarum, fide digna non est.

IX.

Theocrit. Idyll. XVIII, 1. probo Fr. Jacobii coniecturam ἐν ποῦ ἄκρα Σπάρτα.

X.

Γαῖα vocabulum neque cum Leneppio a γάω neque cum Mosero a verbo εἶναι, sed potius a γάω, γαίω est derivandum.

ENARRATIONIS

20.

IN

SOPHOCLIS TRACHINIÆ

PARTICULÆ

QUAM

UNA CUM

ENUNTIATIS ALIQUOT CONTROVERSIS

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

PRO

SUMMIS EIUS HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE VIII, MENS. OCTOBR. A. MDCCCXXXI.

HORA LOCOQUE SOLENNIBUS

PUBLICE DEFENDET

IOANNES APITZIUS

SAXO

SEMINARIORUM RR. PHILOGIGI ET PAEDAGOGICI

ITEMQUE SOCIETATIS HISTORICÆ SODALIS.

HALIS SAXONUM

TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIS.